

agamus quod discendo jam scimus, sed ut sciamus quid agendum sit. Ita ut nemo possit esse contentus, nisi Deus det, et neque hoc ipsum sciens. » Quin et Cassianus, *Collat.* XII, cap. IV : « Sciens, ait, impurissima colluvionis aspergine ac protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio divina discesserit, ac proinde pro perpetuitate ejus cum omni contritione et humilitate cordis indefessis est orationibus exebandam. » Hinc et S. Augustinus eadem epist. 143, docet non tantum in fidelibus, sed etiam in gentilibus, continentiam esse donum gratiæ Dei, affertque exemplum Polemonis, qui, audiens Xenocratæ de abstinentia disserentem, ex ebrioso factus est sobrius.

EX TOTIS PRECORDIIS MEIS. — Græco, ex toto corde meo, id est ex toto cordis mentisque affectu, genui, desiderio et suspirio, additis quoque jejuniis, vigiliis, chameunia, id est humi cubatione (hæc enim carnem macerant, orationem acunt, et ad castitatem disponunt), ait Cantacuzenus. Qui sic serio, ardenter et quasi toto corde petunt a Deo donum castitatis, impetrant; qui vero frigide, dubie et dimidio duntaxat corde petunt, non impetrant, quia impetrare nolunt :

talis ante conversionem erat S. Augustinus, quem audi, lib. VII *Confess.* cap. VII : « At ego adolescens miser valde, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram a te castitatem, et dixeram : Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo (en cor non integrum, duplicem animum, inconstantem in visis suis, non directum a Deo) : timebam enim ne me cito exaudires, et cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam maleham expleri, quam extinguere. » Hæc oratio Salomonis est illa de qua III *Reg.* xxxi, 12. Ex hoc loco discimus eum multis ante diebus in desiderio habuisse, ac in votis sapientiam, eamque a Deo postulavisse; unde in nocte dormienti in Gabaon, volens Deus votis ejus satisfacere, jussit ut peteret quod vellet, et postulavit sapientiam, ut sæpe alias postulaverat, ac data est illi tam eximia, ut præiret omne genus hominum, ut ait S. Hieronymus, in *Eccle.* XII (etsi in cap. II ejusdem libri dicat Salomonem non fuisse sapienterem Abrahamo, Mose et cæteris sanctis, sed in qui fuerunt ante se in Jerusalem), quia « postulavit in fide, nihil hesitans, et postulavit a Deo, qui dat omnibus affluentem, et non improperat, » ut dicit S. Jacobus, *Epist. Cath.* I, 5. Ita a Castro.

## CAPUT NONUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Oratio Salomonis pro impetranda sapientia, cuilibet religioso et sapientia studioso, præsertim prelato et principi, usurpanda : est enim oratio hæc piis affectibus, æque ac rationibus efficacissimis plena, docens sapientiam esse necessarium, tam ad se, quam ad populum sapienter regendum, eo quod ipsa norit omnia, ac sine ea homo ignorans et imbecillus nihil efficiat, quod feliciter succedat. Videtur hæc esse illa oratio qua Salomon impetravit sapientiam, de qua III *Reg.* III, 9. Ex hac oratione D. Henricus Suso suo anno Domini 1350, conficit Horas de æterna Sapientia, ejus studiosis peritiles æque ac piæ. Estant inter opera ejus, et in Hort. animæ.*

1. Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, 2. et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, 3. ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis judicium judicet : 4. da mihi sedium tuarum assistentem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis : 5. quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum. 6. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. 7. Tu elegisti me regem populo tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio : 9. et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis. 10. Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut tecum sit, et tecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te : 11. scit enim illa omnia et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. 12. Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum iuste, et ero dignus

sedium patris mei. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? 14. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incerta providentiæ nostræ. 15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. 16. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis : 18. et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines? 19. Nam per sapientiam sanati sunt quicumque plauerunt tibi, Domine, a principio.

1. DEUS PATRUM MEORUM, ET DOMINE MISERICORDIÆ, QUI FECISTI OMNIA VERBO TUO. — *Tis meorum* non est in Græco; Holcot legit, *nostrorum*, puta Davidis et patriarcharum, præsertim Abrahamæ, Isaac et Jacob, qui totius Israël, id est *populi fidelis et religiosi*, fuerunt patres, eumque optime et sapientissime rexerunt : qua in re ipse illos imitari cum velit, jure idem sapientiæ donum ab eodem auctore Deo postulat. Rursum hi ob fidem et sanctitatem Deo fuerunt charissimi, adeo ut Deus eorum nomine glorietur, eoque vocari et invocari voluerit, dicens ad Moysen et Hebræos, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. » Atque sic Deus humano generi suum nomen elargitus est, auctore Philone in libro *De Abrahamo*, ut habentes refugium ad preces et supplicationes, a spe bona non excluderentur, tribus illis patribus ob Dei oculos præmissis; quod melius facit nunc nomen Jesu Christi Domini nostri, quo nostras omnes preces claudimus et obsequiamur : nam majorum merita, et præcipue sanctorum, Deo proponere ad postulandum quiddam, consuevere prohi in primis viri : ita Cantacuzenus, a Castro, Pineda et alii. Deus enim pater est pariter Deus filiorum, quos ipse patribus dedit, ut filius propter patrum merita se æque ac patribus Deum propitium exhibeat; præsertim quia id olim ipse promiserat patribus, ut cum dixit Abrahamæ, *Genes.* xvii, 7 : « Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus tuis federe sempiterno : ut sim Deus tuus, et seminis tui post te; » et *ibid.* xxii, 17 : « Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, etc., et benedicentur in semine tuo omnes gentes. »

DOMINE MISERICORDIÆ. — Vatablus, *beneficentiæ*; Pagninus, *pietatis*, id est summe beneficius, pius, misericors et miserator, qui peccatum homicidii et adulteri patris meo Davidi, et matri meæ Bethsabee misericorditer remisit, ait Lyrannus; unde Lucifer Calaritanus legit, *Domine misericordiarum*. Hoc titulo gaudet Deus, eoque invocatus postulata audit et exaudit : misericordiæ enim proprium opus est miserorum misereri, eisque

opem ferre; atque omnes indigent Dei misericordia, ut eam velut sibi patrocinantem coram Deo allegare possint et debeant : sic pauperes, ut stipem emendicant a divitibus, solent eorum misericordiam et liberalitatem allegare et laudare. Emphasis habet *Domine*, q. d. Tu es Dominus, ac dominaris infinite tæ misericordiæ, æque ac immensæ miseriæ nostræ; illam ergo velut diffissimus et liberalissimus Dominus in nos eroga, ut miseriæ tante succurras, abyssus enim miseriæ nostræ invocat abyssum misericordiæ tuæ : tu enim es primus et summus omnium elemosynarius, imo « tu es pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, II *Corinth.* I, 3. Rursum, Deus proprie dicitur *Domine misericordiæ*, quia dominium suum ostendit miserando potius quam puniendo, vel aliud quid agendo, juxta illud quod orat Ecclesia : « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas : » patiens enim et clemens est potens ire, animique sui et rerum omnium, ut ostendi *Prov.* xvi, 32, ad illa : « Melior est patiens viro forti. »

QUI FECISTI. — Conciliat sibi hoc versu Dei benevolentiam tribus Dei attributis, scilicet primo, allegando Dei amorem et fidelitatem, quod scilicet sit Deus patrum suorum, quod promiserit se eorum posteris benedicenturum, id est benefacturum : rogat ergo ut idipsum nunc fideliter, ac reipsa posteris egenibus et invocantibus præstet, ac amorem, quo prosequitur patres, testetur et extendat in filios; secundo, allegando Dei misericordiam, ut eam sibi misero eam poscenti more suo exhibeat; tertio, allegando Dei potentiam, quod scilicet omnia verbo suo fecerit et creavit, quod scilicet omnia verbo suo fecerit et creavit, ac proinde si perfacile sit rem hanc petenti annuere. Docet ergo nos hisce tribus titulis stringere, et quasi cogere Deum ad prestandum id quod petimus : vult enim efficaci ardentique oratione et desiderio stringi et quasi cogi Deus a nobis.

VENIO TUO. — Solo jussu tuo, puta in mente, dicendo : fiat lux, Fiant luminaria, etc., *Genes.* I, 3; mystice, Verbo, id est Filio tuo : per hunc enim Deus Pater fecit omnia : itaque verbum notat tam facilitatem, tam sapientiam, qua Deus cuncta creavit : vide dicta *Genes.* I. Verbum denique, id

est Filius Dei, tacite doctorem sibi poscit Salomonem, qui per incarnationem futurus erat doctor Israelis et gentium omnium; unde III Reg. III, 9, cum apparuit Deus Salomoni, non Patrem, sed Filium apparuisse censent Pineda et alii; imo Concilium Sirmense docet in omnibus Dei apparitionibus Veteris Testamenti, Filium duntaxat apparuisse, ut suae incarnationi, qua visibilis hominibus appariturus erat, praeluderet. Praclare S. Basilus, lib. 7 *Contra Eunomium*: « Nonne, inquit, cum de Deo audivimus, quod in sapientia omnia fecit, conditricem tunc ejus artem docemur? cum vero quod aperuit mamma suam, et implet omne animal benedictione, Psalm. CXLV, 16, providentiam ejus, quae per omnia transit? cum vero, quod posuit tenebras latibulum suum, Psalm. XVII, 12, invisibilis naturae ejus admonemur? Cum rursus e persona ipsius Dei dicitur *Malach. III, 6: Ego sum, et alteratus non sum*, identitatem aeternam, incommutabilitatemque divinae substantiae discimus? » quia et Plato: Bonus, inquit, est Deus; omnia ergo sibi simillima fieri voluit, nam bonus nullius unquam rei invidia tangitur; et Seneca, lib. IV *De Benef.*: « Non mendiar, si dixerò neminem non amare beneficia sua, cui non causa sit iterum dari beneficii, semel dedisse. Cui initio non fuisset ratio prestandi, aliquid ei praestamus, qua praestitimus. »

2. ET SAPIENTIA TUA CONSTITUISTI HOMINEM UT DOMINARETUR CREATURAE, QUAE A TE FACTA ERAT: — graece, *creaturis a te factis*. Incipit jam regere Deum rationibus ad sapientiam sibi communicandam, ut officio regnandi sibi a Deo imposito recte perfungatur; unde ablativus *sapientia tua* potest referri, tum ad Deum, qui sapienter hominem creavit velut mundi regem et dominum, ut illum regeret; tum potius ad hominem, quem Deus sapientia imbuvit, ut sapienter mundum gubernaret: id enim magis servit Salomonis proposito, quo Deum stimulat ad sapientiam sibi dandam, velut sibi debitam ad sapienter regendum. Unde pro *constituisti*, graece est *κατασκευάζεις*, id est *reformasti*, adornasti, concinnasti, docuisti, instruxisti rebus necessariis, sicut vas (hoc enim graece dicitur *σκεύος*) aliquod plene per omnia formatur, concinnatur, adornatur, ut sit elaboratum, perfectum et expoliturum ad usus suos: sic enim Deus in hominis corpus ex limo plasmatum infudit animam rationalem, eique sapientiam indidit, ut homo esset perfectus et idoneus ad regendum orbem. *Prima* ergo est haec ratio, q. d. Domine, qui ineffabili tua sapientia Adamum creasti velut regem mundi, ut dominaretur caeteris creaturis, ne ille ratione aequae ac rectore destitutus inter se confligerent, aut careret debita subordinatione, dispositione et gubernatione, ideoque Adamum, ut idipsum praestaret, sapientia tua ipsi indidit adorasti et instruxisti; quae te, ut eandem mihi quoque indas et communies: me enim constituisti regem Israelis, id est

*populi fidelis*, et Ecclesiae tuae; ut ergo munus regum mihi a te impositum rite obeam, sapientiam ad hoc debitam et necessariam mihi clarissime: ego enim sum filius haeres Adae; ac non solum urbis tuae sanctae, puta Hierosolymae, sed et quodammodo orbis totius a te constitutus sum rector, tum quia me destinasti orbis magistrum, ut rerum omnium naturas perscruter, et hominibus explicem; tum quia me urbis auae sapientis et sanctae regem designasti, ut ex me orbis totus veri regis ideam, verumque regendi exemplar hauriat et capiat. Quocirca Salomona *Adae* in sapientia, aequae ac jure regnandi fuit par vel suppar: facilius enim fuit Adae in justitia originali regere creaturas ratione carentes ad nutum obediennes, quam Salomoni post lapsum regere Hebraeos dure cervicis, et concupiscentiis suis addictos; unde apud interpretes problema est, utrius sapientia fuerit major Adae an Salomonis? et adhuc sub iudice lis est, aliis Adae, aliis Salomoni primas sapientiae assignantibus.

3. UT DISPONAT ORBEM TERRARUM IN AEQUITATE (graecae, *in aequitate*, id est *in sanctitate*), ET IN JUSTITIA, ET IN DIRECTIONE CORDIS JUDICEM. — *Disponat*, id est gubernet, gubernatoris enim est omnia suis locis, ordinibus, gradibus, temporibus, modis et conditionibus ordinare et disponere: simile est vers. 12. Unde graece est *δύναμις*, id est *dispenset*, administret, curet, praesit, moderetur, regat; hinc Deus ab Aristotele (si tamen is est auctor) lib. *De Mundo*, vocatur *ὁ ἐν ἐπιπέδῳ δύνων*, id est *omnia administrans, disponens, gubernans*. Talis fuit Adam velut Dei vicarius in terra, juxta illud *Genes. I, 26*: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et (dominetur, seu) praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae, omni-que reptili quod movetur in terra; » hoc est, faciamus hominem, praeditum libero arbitrio, ratione et sapientia, in quo sit nobis similis, ut gubernet mundum in sanctitate et justitia, hoc est, in cultu et religione veri Dei, et in conservatione justitiae erga alios homines.

ET IN DIRECTIONE CORDIS JUDICEM. — Graece, *ἐν εὐθείᾳ ψυχῆς*, id est *in rectitudine animae*, vel, ut Lancel pro S. Athanasio legit, *animi*; per quam S. Bonaventura et Hugo intelligunt *rectum intentionem*, Holcot *clementiam*, Lyranus *distantiam recte rationis*; melius Osorius *animi aequitatem et rectitudinem* accipit, q. d. Adam constituitur est a Deo rector mundi, ut animo aequo et recto, ac ab omni sinistro affectu, passione, personarum acceptione libero, in neutram partem propendens, justum suum iudicium exerceret, et jus suum cuique diceret ac tribueret: rectitudo enim haec adversatur obliquitati, qua quis ob metum vel favorem deflectit a recta justitiae norma et regula, cujus fons et origo est lex aeterna in mente Dei: qui proinde iudici in mente asserua cogitandus est, ut recte iudicet, juxta consilium Iosaphat re-

gis, II *Paralipom.*, XIX, 6. Unde Job. cap. XXXIV, vers. 14: « Si direxerit, inquit, ad eum cor suum, spiritum illius et statum ad se trahet. » Adit noster Lorinus *rectitudinem* vel *directionem cordis* posse significare promptitudinem, ac quasi explanationem et levitatem asperitatis, hasitationi et obscuritati contrariam: multi enim in iudicando sunt obscuro, implexi, hesitantes, tardi, asperi, cum iudex debeat esse clarus, resolutus, expeditus, planus, aequus et facilis. Hinc tropologice inferi Cantacuzenus: Ille, inquit, erit perfectus rex, qui ex prima mundi administratione et regno homini a Deo commendato, rationem addidit gubernandi in *aequitate*, id est, sancte quoad se; in *justitia*, quoad cognoscendas aliorum naturas atque necessitates, ad reddendum unicuique quod suum est, instar Adami cognoscens singula, et dominantis in omnia; et in *directione cordis*, se omniaque sua conferens in veri Dei religionem et cultum: hoc enim assert cor *rectum*, rectus enim illud totum, quantum quantum est, dirigit in Deum.

4. DA MIHI SEDUM TUARUM ASSISTENTEM SAPIENTIAM. — Syrus, *da mihi sapientiam a conspectu sedis tuae*; Arabicus, *da mihi sapientiam eorum qui frequentant te*; graecae, *δέξ με τῶν θρόνων ἡ δύνων πρὸς σοφίαν*, id est, *da mihi tuorum thronorum paretram*, id est *assistentem sapientiam*. Cantacuzenus per thronos accipit tertium ordinem angelorum primae hierarchie, qui vocantur throni: his enim insidet Deus *post seraphim* et cherubim, juxta illud *Psalm. LXXIX, 2*: « Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim. » Magis ad litteram per thronos accipias sedes regales, reges enim sedent in thronis regis; unde in isdem metaphoricis sedere dicitur Deus, qui est Rex regum et Dominus dominantium; quo significatur summa et eminentissima Dei potestas et dominium in omnes reges et principes, imo in omnes angelos totumque orbem.

ASSISTENTEM. — graecae, *πρὸς σοφίαν*. Alludit ad assessores jurisperitos, qui ex veleri more dantur iudicibus junioribus vel imperitoribus, ut ex eorum admonitu sententiam rectam dicant: hi enim vocabantur *πρὸς σοφίαν*; deinde *συμβούλους*, teste Ulpiano, ff. *De Ecclis*. lib. X, et Modestino, ff. *De Offic. Aes.* lib. I; nisi malis alludi ad angelos vel genios paretros: sic enim reges habent suos archangelos paretros, qui eos in regendo dirigant. Unde Michael archangelus erat paretrus Hebraeorum, alius archangelus erat paretrus Graecorum, alius Persarum, *Daniel. x, 13*. Sic et Socrati suis fuit genios paretrus, id est angelus vel demon, cujus consilio omnia agebat, teste Platone et Laertio in ejus *Vita*: sic magi habent paretros demones, qui eis arcania revelant: sic S. Irenaeus, libro I, cap. IX et XX, docet Simonem Magum et Marcum habuisse genios paretros, qui iudicium non alii erant quam demones familiares; quem etiam se habuisse asseruit Lutherus, lib.

*De Missa angulari*, et Zuinglius, lib. *De Supplemento Eucharistiae*, et Calvinus, epist. ad *Ducem*. a Bucero enim monitus ipse ut conviciis abstineret, respondit hunc sui non ingenti; sed genii esse morbum: vide *Venerandum in Irenaeum* loco jam citato, ubi variis ex antiquitate exemplis docet quod, sicut Ecclesiae paretrus adest Spiritus Sanctus et sapientia, sic et heresiarchis paretrus assidet demon.

Est prospopoeia: sapientiae enim hic datur persona, quasi angeli vel consilarii, qui Deo assistat, ut sapienter omnia disponat, ac ab eo mittatur in terram, praesentim ad reges et principes, ut eos dirigat doceatque sapienter munus suum obire, ac subditos regere, *Prov. I, 20*; *Job XXVIII, 12*. Sic poeta fingit Jovi assidere *βίβων καὶ δῶν*, id est *aequitatem et justitiam*, quam velut virginem integram asserunt esse deam iudiciorum praesidem, quod licet dirimat et decidat; unde Aristoteles, lib. *De Mundo*: Deus, ait, e vestigio comitem habet justitiae praesidem, quam *ἄκω* nominant, divinae legis vindicem, simul ac quidquam sanctionum ejus pretermissum est.

Orat ergo Salomon dicitque: Da, Domine, ut sapientia, qua tibi quasi summo omnium gubernatori assistit, mihi quoque regi consilii indigo assistat, tam in regendo, quam in fide dicendo: nam sine sapientiae consilio reges nihil agere, nihil decernere debent. Da igitur mihi illam velut *πρὸς σοφίαν*, imo *πρὸς δόξαν*, id est *praesidem et assistentem*, quae mecum in solo regali sedeat, imo sola illud occupet: lubens enim omne illud ipsi cedam, ut iuxta eam consistentem, ego velut discipulus astem. Continue ergo mihi adstet, adstet et praesidet, nec unquam a meo latere discedat, ut ejus magisterio erudit, et discam quid dicere, quid decernere, quid iudicare debeam: illi enim velut magistrum in disciplina me dedo, ipsi ut reginae me subdo; illa ergo ceu regina a dextris mihi assistat, meque in omnibus regat et dirigat, necubi errem aut oespitem.

ET NOLA ME REPROBARE A PUEIS TUIS. — *Puer* in Scriptura vel *filium vel servum* significat, electum et dilectum; sensus ergo est, q. d. Noli me rejicere ex numero filiorum et familiarum tuorum, quos velut tibi dilectos tua sapientia donasti et dotasti: nam ego sum tibi filius familias, natus ex ancilla tua, ut sequitur. *Item primo*, Cantacuzenus per *pueros* accipit angelos, praesentim supremos Deo assistentes, puta cherubinos (qui a scientia et sapientia nomen acceperunt) et seraphinos, qui a Deo lumen acceperunt, quo alios inferiores illuminant: hi enim sunt proximi Deo; quasi primi ejus familie pueri, id est filii vel famuli. Simili enim modo optat Salomon pro tanto regis munere, instar angeli cherubini et seraphini, Deo familiarissimus esse, et lumen ab illo accipere, quod in sibi subditos et populares refundat. *Secundo*, et magis ad litteram, per *pueros* accipias patres et patriarchas divinarum scientia

præstantes, puta Abraham, Isaac, Jacob, Davidem, etc., cum quibus etiam ut annumeretur velut filius et hæres, ac sapientiæ dono insignitur, Salomon obsecrat. *Tertio*, alii apposite per pueros accipiunt reges, *judices* et principes, qui familiares Dei esse videntur, et quasi a secretis, a consiliis, quibus cum providentiæ suæ arcana communicat, juxta illud, *Psal. LXXXI, 1*: « Deus stetit in synagoga eorum (hebraice, *elohim*, id est principum et potentium), in medio autem deos judicavit. » Principes ergo et judices sunt pueri et familia *elohim*, id est Dei omnia judicantis et gubernantis, ut secus sit, *q. d. Soles, o Domine Deus, regibus assitricem tuam communicare sapientiam, uti Davidi patri meo communicasti; noli ergo mihi ejus filio et hæredi, pariterque regi eam denegare, ne ineptus sim qui Israël em regam, ac regio munere et nomine indignus inveniar. Noli ergo me gradu hoc, ordine et potestate movere; noli me ejicere, abdicare, ac veluti censura notare, præterire, et inter ejectiones præteritosque censere: hoc enim est *ἀποδομαίνω*. Unde senatores, qui ob insipientiam culpamve senata submoverantur, vocabantur *ἀποδομαίνω* τῶν βουλευσάντων, testibus Festo et Budæo in *Comment. lingua græca*, part. 68. Orat ergo ne ex regum sapientiam sibi reproberet et eradat ob imperitiam; ignorantiam vel insipientiam, vel indignum et rejectumque, juxta illud *Isai. XXXII, 3*: « Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps; neque fraudulentus appellabitur, major: stultus enim satia loquetur, etc. »*

Tropologicæ: « Noli me reprobare a pueris tuis, id est, ne sinas me tibi in peccatum, ut priver tua gratia ac statu graduque filiorum Dei, fiantque servus et mancipium diaboli, ac fomes mortis et gehennæ: ita noster Alvarez de Paz, *De Vita spirituali*, lib. 1, part. VII: Quid est, inquit, *noli me reprobare a pueris*, nisi noli permittere ut a sapientia derelictus, quæ omnis bonitatis est fons, servi et amici tui, o Domine, dignitatem amittam? nam sine sapientia, id est sine luce divinitus indita, nec peccatum agnosco, unde nec detestor; nec virtutis decorem video, unde nec amo, nec sequor, nec amplector; non est autem aliquid servus tuus et amicus tuus, sine odio peccatorum, sine amore virtutum.

5. QUONIAM SERVUS TUUS SUM EGO, ET FILIUS ANCHILE TUE. — Puta Bethsabæe, quæ post adulterium cum Davide penitentem probam vitam duxit, nec tantum sapientia, sed et prophetie spiritu a Deo dotata fuit, uti ostendi *Proverb. XXXI, 1*: usurpat verba patris sui Davidis *Psal. CXV, 6*. Rursum et potius per ancilla insinuat suam infirmitatem, et sapientiæ necessitatem, *q. d. Ego sum ancilla tuae*, id est mulieris miseræ, ex qua tanquam ex fonte quidquid infirmitatis, aut imbecillitatis, vel ignorantie est in me, profectum est: nam, ut dixit Job, cap. XIV, vers. 1: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore,

repletur multis miseriis; » unde statim subditur: « Homo infirmus, et exigui temporis. » *Savanda* est hæc ratio, qua Salomon urget, et jure servitutis obstringit Deum ad dandam sibi sapientiam, *q. d. Ego in familia tua dego, et inter domesticos tuos censeor, imo quasi verus in tui obsequio et servitute natus sum, quasi fideliolum parentum te colentium fidelis filius, verusque tui cultor, sed ancilla miseræ miser filius. Tua ergo interest ut ego servus tuus sapiam, et sapienter negotia mihi a te commissa administrarem: heri enim honor, utilitas et lucrum pendente ex servi sapientia et industria, si scilicet solerter res ejus obeat, administret et peragat; unde officium servi allegans David orat, *Psal. CXVII, 12*: « Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. » Heri enim est servo de necessariis providere; provide ergo mihi de sapientia necessaria ad regendum. Porro Salomon in hac oratione ita se amatorem sapientiæ cupidum prodit, ut eam tamen jam magna ex parte videatur consecutus (he enim rationes ejus sapientissimæ sunt), perinde ac is, qui amoris dei a Deo ardentissimis votis efflagiat, amoris divini jam compos est: is enim in eo inhabitans, ipsum ad tam ardentem postulationem exstimulat, summe desiderans ut in dies magnis incrementis augetur et inardescat.*

Tropologicæ rex et princeps, qui servit Deo, subditorum quoque se servum agnoscat, ut eorum commodis serviat: qui enim servit Deo, et servit et proximo propter Deum; juxta Pontificem vocat se *servum servorum Dei*. Allegorice Christus, quatenus homo, est servus Dei, *Isai. XLIX, 3*, et filius B. Virginis, quæ se vocat *ancillam Dei*, *Luc. I, 38*: ita Glossa Interlinearis.

HOMO INFIRMUS, ET EXIGUI TEMPORIS, ET MINOR AD INTELLECTUM JUDICII ET LEGUM. — *Infirmus*, græcè *ἀσθενής*, id est debilis viribus, tum corporis, tum animi, præsertim judicii, ingenii, fortitudinis et constantiæ ad resistendum potentibus pauperis opprimentibus, ac ad ferendum tot tantaque regni onera. *Et exigui temporis*, tum quia Salomon juvenis sub annum ætatis vicesimum inivit regnum, cum sapientiam a Deo postulavit, ut hic postulat; unde ipse pro ea orans ait, *III Reg. III, 7*: « Ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum, » hoc est, quidquam, quomodo rem ordiar, quomodo finiam nescio: modicum enim et pauci temporis habeo experientiam, et consequenter modicum prudentiæ et sapientiæ: hæc enim parit experientia, tum quia vita mea brevis est, ideoque non sufficit ad addiscendam sapientiam tam variam et multiplicem, qua requiritur ad gubernandum, juxta illud Hippocratis: « Ars longa, vita brevis. » Unde Tigurina vertit, *brevi tempore daturus, et minor ad intellectum judicii et legum*; Valabius, *adeoque junior, quam ut justitiam legesque possim intelligere*. Rursum et potius magis

græcè, *δύσασ*, id est minus sufficiens, et succumbens intelligentiis judicii et legum, id est imbecillior quam ut judicia et leges possim intelligere, quibus regem instructum esse oportet. Regem enim Israel oportebat nosse omnes leges Dei, morales, ceremoniales et præsertim judiciales (juxta has enim judicare debebat), uti jubet Deus, *Deuter. XVII, 18*, et *Josue I, 8*. Adde his leges municipales et jus consuetudinum, ac similia, quorum rex et judex peritus esse debet. Porro leges a Deo Judæis in Pentateucho sanctas dividunt Hebræi in *affirmativas*, easque numerant 218, et *negativas*, easque numerant 268, teste R. Mose in *Duce Dubiorum*, cap. LVI et LVII. Est hæc *tertia* ratio urgens Deum ad dandam sapientiam, petita ex humili confessione propriæ infirmitatis, indigentie et necessitatis: confitetur enim suam ignorantiam, ut sapientiam nanciscatur: nam « oratio humiliantis se penetrat nubes. » *Ecl. XXV, 21*.

Moraliter Cantacruzenus censet dici hominem *infirmum* et *minorem ad intellectum judicii et legum*, quoniam ex quo semel legem transgressus est, tum ad servandam legem, tum ad exigendam legis observationem imbecillus et inefficax est; ergo sapientia, quæ legem servare docet, eadem ipsa bene imperare docet; quæ a subditis legem exigit, prius illam exigit ab ipso exactore, cui prius imperat faciendam, quam subditis.

6. ET SI QUIS ERIT CONSUMMATUS INTER FILIOS HOMINUM, SI AB ILLO ADFUERIT SAPIENTIA TUA, IN NIHILUM COMPUTABITUR. — Est hæc quarta ratio petita a necessitate sapientiæ, *q. d. Sapientia a Deo homini, præsertim principi necessaria est, ut, licet sit vir, imo senex, omnibus corporis animique dotibus instructus; si tamen careat sapientia, nullius sit pretii, et nihili æstimandus; quanto magis ergo mihi, qui juvenis sum infirmus, inexpertus, omniumque indigus, opus est sapientia? Hinc affinis est gnome cap. XIII, vers. 1*: « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: » qui enim Deum prædicit nescit, hic vere sapiens est, vere magnus, vere beatus, licet cætera nesciat; qui vero Deum prædicit nescit, nihil scit, etiamsi cætera sciat; unde illud:

Qui Jesum nescit, sapit, etsi cætera nescit: qui Jesum nescit, nil scit, si cætera nescit.

7. TU ELEGISTI ME REGEM POPULO TUO, ET JUDICEM FILIORUM TUORUM ET FILIARUM. — Quinta et potissima est hæc ratio, quod Salomon a Deo electus sit rex non gentiliū, sed Israëlitis, id est populi sapientis, fidelis et religiosi: quare regem populo longo sapienterem, fideliterem et religiosiorem esse oportebat, ut populum in sapientia, fide et religione promoveret, alioqui grave scandalum illi daturus et grave supplicium in Dei judicio subiturus. Hinc patet Salomonem a Deo electum esse in regem, ut Davidi in regno *essederet*,

idque satis insinuat *I Paralip. XXII, 1*: quare licet ætate esset minor, prælatum tamen fuisse Adoniam cæterisque fratribus natu majoribus, ideoque unum ipsum e populo Dei electo fuisse ecclesiasticum, unum enim ex omnibus electus fuit in regem populi a Deo selecti et dilecti, quem proinde Deus hic vocat suos filios et filias; quo significat eum ipsos regere debere non ut tyrannum, nec tam ut regem, quam ut patrem, et patrem filiorum Dei, hoc est magno amore, cura et reverentia. Quocirca ex hac electione Salomonem Deum urget ad dandam sibi sapientiam, *q. d. Tu, Domine, me elegisti in regem Israël, tuum ergo est dare mihi sapientiam ad hoc regimam, non tantum necessariam, sed et utilem commodamque. Hinc rursum patet hunc librum esse Salomonis, eo modo et sensu, quo in *Proverbo* exposuit.*

Moraliter hic discit fidelis et christiani esse regere Israël, id est *populum Dei*, ut in Dei lege, cultu, obsequio cum continet et promovet, dirigatque ad veram salutem et felicitatem æternam. Hujus rei causa voluit Deus Salomonem ædificare sibi templum ut in eo coelestiter, ut sequitur, adeoque templi fabrica præcipuum fuit Salomonis opus, ob quod Deus eum videtur regem creasse. Regnum ergo fideiolum est primo religio, deinde justitiam et republicam curare et stabilire: hujus enim basis et columnæ est religio et pietas. Itaque fecere Constantinus magnus, Theodosius, Carolus Magnus, etc., qui proinde felicissimi et gloriosissimi evaserunt. Aliothosciam, hæc in re enituit olim Angliæ regum devotio, qui regnum Angliæ Ecclesiæ et Pontifici Romano subjecerunt, ad tributarium effecerunt: ita ad Leonem IV Pontificem sanctissimum illustrem, qui vita functus est anno Domini 853, ex Angliæ venit Agelolphus rex cum filio, regnumque suum Romanæ Ecclesiæ, singulis familiis nummo aureo in singulos annos imposito, tributarium fecit: ita Platina, Baronius et alii. S. Richardus Angliæ rex, dimisso regno, ac filius apud S. Bonifacium Moguntie relicti, vili vestitu incognitus peregrinatus est, Romanque contendit; sed in itinere morbo correptus, Lucæ vita functus, ad coeleste regnum migravit anno Domini 771, ac miraculis claruit. Itaque rex patriæ exsul factus, mundi spreto, et sui contempto, regiam coronam pro æterna vita deposuit, ac purpuram cum sacco commutavit. Filii ejus fuisse f. Willibaldus, qui deinde creatus est episcopus Eistadensis; et alter Willibaldus electus abbas Hildenhæmensis: filia vero Walpurga facta monialis, creata est abbattissa, atque omnes ob præclare gesta sanctorum Catalogo ascripti sunt. Itaque habet ejus *Vita*, et Arnoldus Wion in *Ligno vite* lib. IV, Philippus Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italia*, et alii. Eduardus III, Angliæ rex, adeo in Deum et Ecclesiam Romanam pius exstitit, ut coeleste a Deo privilegium accepit, illudque vellet hereditarium ad posterum Angliæ reges transmissit, nimirum ut

manum facti sanent strumas, annisque certo ritu consecratis, membrorum stupori medeantur, teste Polydoro Virgilio, lib. VIII. Denique Anglia pios reges in Sanctorum catalogum adscriptos, numerat duos Eduardos, Edmundum martyrem, duos Ethelbertos, Oswaldum, Chenehum, et Richartum jam recensitum. Qui presens Anglie schisma spectat, anon jure exclamet: « O domus antiqua, quam dispare domino dominaris! » Considerent hæc Angli, felicitatem et gloriam revertantur. Legant ampla duodecim privilegia, olim Anglie regibus catholicis a Deo concessa, quibus jam per hæresim privati sunt, apud Thomam Bozium, *De Signis Ecclesie*, signo 92, lib. XXI.

8. ET DIXISTI ME EDIFICARE TEMPLUM IN MONTE SACRO TEO, ET IN CIVITATE HABITATIONIS TUE ALTARE; SIMILITUDINEM TABERNACULI SANCTI TUI, QUOD PREPARASTI AB INITIO. — Sexta est hæc ratio, quod Salomon a Deo jussus sit edificare ipsi templum, juxta ideam a Deo Mosis in fabrica tabernaculi præscriptam; ejus ergo symmetria, id est proportionem et dimensiones, per omnia fuisse divinitus: quare ad hoc fabricandum magna opus erat sapientia. *Montem sanctum* vocat montem Moria, quem sanctificavit Abraham, offerendo in eo filium Isaac; et postea Christus, dum in ejus colle, puta in Calvaria, seipsum Deo obtulit ad nostram redemptionem et sanctificationem. Vide dicta *Genes.* XXII, 14.

SIMILITUDINEM (græce *μύμησις*, id est *imitationem*) TABERNACULI SANCTI TUI, QUOD PREPARASTI (id est prius parasti, et jam ante fabricasti) AB INITIO — Synagoge instituta, quando scilicet per Moysen populum hunc ex Ægypto eduxisti, tibi que in ecclesiam selegisti, q. d. Jussisti me edificare templum adinstar tabernaculi, quod Moyses fabricavit, juxta ideam ipsi a te in monte Sina ostensam. *Exod.* XXV, 9 et seq. Tabernaculi duæ erant partes, Sanctum et Sanctum sanctorum: in Sancto erat altare thymianatis, candelabrum septem calamis et lucernis lucens, et mensa panum propositionis; in Sancto sanctorum erat area testamenti (in qua erant tabule Decalogi digito Dei inscriptæ, virga Aaron, et juxta eam manna) cum cherubim, et propitiatorio. Ante Sanctum sub dio erat altare holocaustorum, in quo Deo mactabantur victimæ; unde præ cæteris meminit hic altaris, quia illud erat præcipuum templi decus et instrumentum ad sacrificandum colendumque Deum. Porro altaris Mosis in tabernaculo habebat quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine; verum Salomon pro toto Israele, imo pro exteris a toto orbe religionis ergo ad templum confluentibus, majus et capacius altare erexit, servata tamen proportione altaris tabernaculi nam, ut dicitur II *Paral.* IV, 4: « Fecit altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum

altitudinis: » vide dicta *Exod.* XXV et seq. Porro templum erat domus Dei et imago cæli, in quo Deus celebratur assiduis victimis et thure, sive thymianate; idem erat imago regis sacri et divini: in templo enim Deus, velut in suo regno regnabat, omniaque suis legibus et ceremoniis dirigebat ad sui cultum, et populi religionem. Quare jussit Deus Salomoni fabricare templum, ut ex eo acciperet ideam regnandi: tam in templo omnia erant suis locis, ordinibus, gradibus consensu et religiose disposita; ac pontifex, velut vicereus Dei, imperabat tot millibus sacerdotum et levitarum, atque laicis omnibus ad templum venientibus, adeo ut aspiciere levitarum et sacerdotum ordines idem esset, ac cernere militum sacrorum aciem optime ordinatam; hæc in templo summa erat quies, summa pax, summa unio, que omnia in regno imitari et procurare debet rex. Vide nostrum Vilalpandum, tom. II *De Templo*, part. II, lib. V, disp. 2, cap. XXIX, XXX et XXXI, ubi docet templum habuisse similitudinem tabernaculi et castrametationis populi, idem quoque ad similitudinem mundi, cæli et hominis constructum fuisse.

9. ET TECUM SAPIENTIA TUA, QUE NOVIT OPERA TUA, QUE ET APPUIT TUNC CUM ORBEM TERRARUM FACERES, ET SCIEBAT QUID ESSET PLACITUM OCULIS TUIS, ET QUID DIRECTUM IN PRÆCEPTIS TUIS. — *Tu tua* non est in Græco. Nonnulli hanc gnomen absolute sine nexu, ut per se consistentem accipiunt, q. d. Ad tecum, o Domine, ab oltanis temporibus erat sapientia, que novit opera tua; et tibi adfuli cum orbem creares, uti ipsa de se proficitur *Proverb.* VII, 27: « Quando preparabat cælos, aderam, etc., cum eo eram cuncta componens; » hebraice *יָדַע אֲמוֹנ*, id est eram apud Deum, quasi *amonus* et *nutritivus* creaturarum, eas alendo, fovendo, gubernando. Illam ergo mitte e cælis ad me, ut mihi pariter sit *amonus*, id est *nutritivus* et *rector*. Verum aptius græcoque consonantius, alii hanc gnomen neclunt præcedenti, puta fabricæ tabernaculi, q. d. Tu, Domine, olim fabricasti tabernaculum per Moysen, et nunc templum per Salomonem, ac tecum idipsum fabricavi sapientia tua: hæc enim tibi suggestit ideam et exemplar pulcherrimum tabernaculi et templi, juxta quam edificares illud. Hæc enim « novit opera tua, » id est operum tuorum rationem, formam, dispositionem, æque ac scopum et finem; unde eadem tibi « affuit tunc, cum orbem terrarum faceres. » Meminit fabricæ orbis, quia hæc fuit idea fabricæ templi; mundus enim est imago templi; ac templum vicissim est quasi partus mundus, unde illud cap. XVII, 24: « In veste perderis, etc., totus erat orbis terrarum. » Hinc fit templum, sic et mundus est domus angusta Dei, et, ut Philo ait: « Mundus est templum sanctorum Domini. » Rursum, sicut sapientia primitus considerat et disposuerat mundum quasi regnum, in quo Adam, sive homo, velut rex, om-

nibus creaturis dominaretur sobrie, modeste, sancte, juste et religiose, uti dixit vers. 3: sic eadem hic designat et disponit templum, sive ecclesiam Israel velut regnum, in quo regnet Salomon pacifice, pie et juste. Quare eandem sapientiam ad perficiendam templi fabricam æque ac ad regni regimen jure sibi deposcit Salomon, præsertim cum eandem olim Deus indiderit Beseleel et Ooliab architectis ad fabricandum tabernaculum, *Exod.* XXXI, 2.

ET SCIEBAT (id est olim Sapientia sciebat, cum orbem conderet; et etiamnum scit) QUID (SIT) PLACITUM OCULIS TUIS, ET QUID DIRECTUM (græce *ἐπί*, id est *rectum*) IN PRÆCEPTIS TUIS, — id est, quid rectissime velis, decernas, jubeas et præcipias, quasi dicat: Da ergo et mihi hanc sapientiam, ut sciam quid tibi sit placitum gratumque, quidque directe voluntati tue, legi et præceptis concordet et consonet, ut idipsum tum in fabricando templo, tum in administrando regno exacte sequar et exsequar. Pro *placitum* græce est *ἀρετή*, unde gallicum *arret*, id est decretum Curie, sive placitum: significat sapientiam habere absolutissimam cognitionem voluntatis divinæ, atque consiliorum et præceptorum ejus, quæ vel nobis dedit, vel rebus a se factis indidit.

10. MITTE ILLAM DE COELIS SANCTIS TUIS, ET A SEDE MAGNITUDINIS TUE. — Græce, et a throno gloriæ tuæ mitte illam: Tu enim mitte repetit, ut ardorem desiderii significet. Anthropopathice hæc dicuntur: Deus enim, cum sit purissimus spiritus, non eget throno, nec in eo sedere potest, cum hoc sit corporum; thronus gloriæ ergo vocatur locus, puta celisudo cæli empyrei, ubi Deus beatis gloriam suam ostendit et communicat. Inducitur ergo hic sapientia ut persona sapientissima, quæ throno Dei assistat, illique suggerat omnia quæ agenda sunt, ac deinde eadem sapientissime exsequatur; eandem sibi mitti postulat Salomon, ut throno suo in terris assistat secum, sequere in regendo dirigat, ut sciat quid agendum sit, ac deinde idipsum sapienter secum exsequatur: sapientia enim duæ sunt partes, *prima*, prudenter rem mente concipere et designare; *secunda*, rem sapienter conceptam sapienter exsequi et peragere. His omnibus significat se obsecrare, ut Deus increata sua sapientia sibi assistat, ejusque rivalum et radium, scilicet sapientiam creatam, menti suæ inspirat et indat, ut prudenter omnia prospiciat, ordinet et perficiat, tum quæ ad templi fabricam, tum quæ ad populi gubernationem spectant; cæcis nihil operari sine illa, ac per illa omnia referre ad Dei gloriam, ac suam populique salutem.

Symbolice, petit Salomon sibi mitti Filium, cui ceu Verbo attribuitur sapientia, ut eam se doceat: ita D. Thomas I part., *Quæst.* XLIII, art. 5: nam « mitti personam divinam, ait, ad aliquem per invisibilem gratiam, significat novum modum inhabitandi illius personæ, et originem ejus ab alia, » quod scilicet Filius oriatur et gignatur

a Patre: vide ibidem scholasticos et Magistrum, lib. I *Sentent.* dist. 14 et seq. Deus Pater enim per Filium sapientiam, gratiam, omneque bonum nobis clarior: hæc de causa Ecclesie omnes suas orationes et collectas ad Deum Patrem concludit hæc forma: « Per Dominum nostrum Jesum Christum, » etc. Cujus consuetudinis origo antiquissima est, ut patet ex Canone Missæ, cuius auctor perhibetur S. Petrus: in eo enim omnes orationes clauduntur hæc modo: « Per Christum Dominum nostrum. » Idem videre est in Liturgia S. Jacobi et S. Marci, licet non tam crebro quam in Canone. Initium et radicem hujus formulæ fuit illud dictum Christi, *Joh.* XVI, 24: « Petite (in nomine meo) et accipietis; » et *ibid.* vers. 23 et seq.: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; » unde Christi præceptum secutus S. Paulus ita sancit, *Hebr.* XIII, 15: « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudem semper Deo, id est fructum laborum conflentium nomini ejus; » et alibi passim docet Christum esse nostrum mediatorem apud Patrem, intercedere pro nobis, etc.; unde ipse crebro et alternis sæpe versibus interponit et ingeminat nomen *Jesu Christi*. Idem fecit S. Petrus ceterique apostoli. Postea vero, cum Pelagius heresiarcha tempore S. Augustini gratie Christi detraxeret, Ecclesia ut illum confutaret, omnes plene orationes concludit: « Per Dominum nostrum Jesum Christum, » etc.; itaque fecit S. Gregorius, qui plurimas officii ecclesiastici collectas composuit, ut patet ex ejus *Antiphonario*: plura vide apud Amalarium, *Walafridum*, *Durandum*, et cæteros qui de Officiis ecclesiasticis scripserunt.

Subtiliter S. Bonaventura: « Sapientia increata, inquit, dicitur esse in sinu Patris, gigni ex utero, ex ore procedere: *primum*, propter occultationem; *secundum*, propter consubstantialitatem; *tertium*, propter manifestationem; et de cælo mitti, propter illuminationem; sedere in anima, propter tranquillitatem. »

UT MECUM SIT, ET MECUM LABORET, UT SCIAM QUID ACCEPTUM SIT APUD TE. — Et ubi scivero, exsequar. Græce, *ὡς συναμύνηται μοι κοινάριον*, id est ut simul *præsens*, vel *assistens mihi laboret*, ut legit Cantacruzenus: sapientia enim et gratia Dei, non sola operatur bonum opus, ut vult Calvinus, sed simul cum mente et libero arbitrio hominis, cui ille cooperatur: a gratia enim habet opus, quod sit sanatum gratumque Deo; a libero vero arbitrio, quod sit humanum et liberum; unde Eusebius alludens Paulus: « Abundantius, ait, omnibus laboravi, non ago autem (solum), sed gratia Dei mecum, » I *Corinth.* XV, 10, hoc est, ut explicat S. Augustinus, lib. *De Gratia et Libero arbitrio*, cap. XV: « Non autem ego, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. » Græcum *κοινάριον* significat *laborem cum molestia et fatigatione*: per hanc enim homini paran da

est virtus, et servorum (qualem se esse fassus est vers. 3) est assidue laborare pro hero. Petit ergo sapientiam, quam secum non solum labore, sed et labore doceat, a labori præsint, illumque urgeat et exigit; unde noster Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. VI, num. 3, censet esse metaphoram ab exactoribus, qui servis laborantibus assistunt, opus exigunt, et in laborando instant, nec sinunt servos aut dormire, aut segnitè agere: ait itaque: Nec me permittas torpescere aut dormire in regio munere exercendo, quippe qui regnant, Dei manus et opus faciunt. Exigit igitur a me sapientia mei laboris pensum, instet, et sicut ego, quippe rex, in medio sum populi instar exactoris et episcopi inspectantis subditos, atque urgentis ut opus peragant, itaque videor cum illis laborare: ita cum « servus sim ego tuus, » laboranti mihi, ut opus tuum peragam, adhibe exactricem, assistricem, inspectricem sapientiam. Sapientia ergo est velut rex aut regina apum, quæ assidue alveare obit et circumit, ut omnes apes urgat ad laborem assiduum, ut scilicet favos quasi domos continue extruant, in hisque mella conciant et condant. Eadem facit, ut labor suum confortatur effectum et fructum: nam sapientia adjuvante et dirigente, quis labor non felix, aut non fructuosus fuerit? Eadem cum laborante collaborans, magnum illi prebet solatium æque ac auxilium: quis enim laborem subterfugiat, cui secum humerum subiecit, et quasi succollat Deus? « Magna corona est communionem habere cum Deo, » ait S. Chrysostomus, homil. 11, in epist. ad Rom.; et S. Hieronymus, epist. 2 ad Heliodorum, eum impellens ad vitam religiosam: « Paupertatem, inquit, times? sed beatus Christus pauperes appellat. Labore terrens? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa jejuniis membra collidere? sed Dominus tecum jacet, » q. d. Hæc una Dei societas, ut cæteræ absint consolationes, quidquid tibi laboriosum accidere potest, demulcebit. Et S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*: « Exercitata, inquit, mens, non aquilarum præferet imagines, nec dracones, sed in cruce Christi, et Jesu nomine progreditur ad prelium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis. »

11. SCIT ENIM ILLA OMNIA, ET INTELLIGIT, ET DEDECT ME IN OPERIBUS MEIS SOBRIE, ET CUSTODIET ME IN SUA POTENTIA. — Græce, in sua gloria, id est gloriosa potentia, nam, ut ait Sallustius, *Proœmio in Catilinam*: « In maximo imperio maxima est gloria, » q. d. Sapientia me custodiet per suam potentem gloriam et majestatem, ut gloriam sibi comparet vel ex meis actionibus, vel ex mei gubernatione et custodia, ut scilicet Deus gloriosus appareat in suo ministro. Tria hic munia sapientie notat, eaque sibi dari deposcit, *primam* est scientia et intelligentia rerum agendarum, sive per virtutem, sive per artem, puta architectonica

et fabricæ templi. *Secundum*, in exsequendo et operando prudentia, discretio, regula, norma et modus, quem significat « sobrie, græce *εὐφροσύνη*, id est moderate, discrete, sapienter, prudenter; postulat ergo auream mediocritatem, quæ omnium actionum nostrarum debet esse norma: hæc enim modum prescribit operationi, ne remissius aut ardentius quis operi incumbat, quam recta ratio flagilat. *Tertium* est, actionis et operis custodia, ne ab hoste vel alia causa impediatur: hæc enim præstat pervigil sapientie providentia; indeque potentia, quæ omnia impedimenta se lenter prævidet, et potenter discutit.

12. ET ERUNT ACCEPTA (DEO ET HOMINIBUS) OPERA MEA, ET DISPONAM (MODERABOR, ADMINISTRABO, GOVERNABO, UT DIXI VERS. 3: GRÆCE, *διακρίνω*, id est *dijudicabo*, hoc est jus suum cuique tribuam, est enim hoc verbum forensæ et judicialis) POPULUM TUUM JUSTE, ET ERO DIGNUS SEDICUM (GRÆCE, *θρονόμου*) PATRIS MEI. — Sedes sive throni in plurali, notant multas provincias et judiciorum tribunaia, quibus per suos iudices et prefectos præsedebat Salomon, optat ergo illa omnia a sapientia dirigi, quia omnium ei cura ex officio incumbat, ut imitetur Davidem patrem suum, qui sapienter et sancte Israelæ thronum gubernavit. Nam sepe filii a parentum, præsertim principum, virtute et moribus degenerant, cuius rei causam dedit in *Proverbiis*; unde illud: « Heroum filii non sunt; » et illud Homeri, *Il. Odys.*:

Pauci enim filii similes patri sunt,  
Plures pejores, pauci autem patre meliores.

Augustus Cesar, Julis filis et neptis dedecora, quasi vomicas perosus, teste Suetonio exclaimat: O uitam celebs vixissem, orbisque perissem.

Plutarchus in *Apophth. Læon.* narrat Damatriam filium, qui in bello inerte se gesserat, occidisse, cum diceret: « Nequaquam convenire, ut ex fortissimis parentibus natus filius ignavus superes esset. » Idem fecit simili filio altera Læona, de qua hoc apud eundem exstat epigramma:

Germen iners abeas ad tartara, læque perosus  
Eurosas cervis nec det aquam timidus.  
Ignavis calulus, mala sors, hinc vade sub arcum:  
I, Sparta indignus, quem nec ego peperit.

13. QUIS ENIM HOMINUM POTERIT SCRIBERE CONSILIA? AUT QUIS POTERIT COGITARE QUID VELIT DEUS? — Septima est hæc ratio petita a celsitudine Dei, q. d. Rex a Deo constitutus est ejus in terris vicarius et interpres, quare ex Dei voluntate et mente populum regat oportet; at quomodo illam adeo æream excipiat et resciet, nisi internumia ejus sapientia? illam ergo, o Domine, mitte ad me. Ad hæc gnomen allusit, imo eam quasi civitatis Paulus, *Roman.* XI, 14, dicens: « Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliaris ejus fuit? » et I *Cor.* II, 16: « Quis enim cognovit sensum Do-

mini? » Hinc Moses in omnibus dubis populi regimen concernentibus, confugebat ad tabernaculum, ibique Deum consulabat, et ab eo responsa accipiebat; idem a Deo jubetur facere Josue per pontificem Eleazarum, *Nam.* XXVII, 21. Utrumque imitentur principes et prelati, ut in rebus perplexis Deum per orationem consulant. Pulchre hunc locum perurget S. Cyprianus, *De Singular. cleric.*, docelque Dei consilium et voluntatem unicam esse justitiæ normam, justique regiminis formam: sic enim ait: « Cujus (Dei) ita sunt mandata servanda, ut si aliquid jusserit, quod secundum homines injustum esse videatur, justum credatur et fiat, et si justum jusserit, justum reputetur et fiat; cum sine justitia non potest esse, quod mandat, qui potens est injustitiam justificando vocare justitiam; et justitiam reprobandam injustitiam probare transversam, cuius voluntas est sola et vera justitia. » Rationem subdit: « Si enim totum quod gerimus ad hoc tantummodo gerimus, ut Domino placeamus, profecto hoc solum erit justum, quidquid voluerit, et jusserit, et probaverit Deus, cui placere gestimus: nam cum servi non possint a semet ipsis scire, quid suis dominis placeat, nisi dominorum sequantur imperia; et utique homines hominum similibus sibi non valeant utilitates agnoscere, nisi acceperint quod observet: multo magis mortales nesciunt immortalis Dei justitiam probare, dicenda demonstrare, sicut Salomon approbat, *judicia Sapient.* IX, 13: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timida, et incerta providentia nostra. »*

14. COGITATIONES ENIM MORTALIUM TIMIDÆ, ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ. — Syrus, *cogitationes enim mortalium imbecillæ, neque firmæ sunt conceptiones eorum; Arabicus, cogitationes mortalium sunt timores, et conceptiones, vel visiones eorum periculosa.* Probat homines, præsertim reges debere nisi consilio sapientiæ et providentiæ Dei, eamque assidue implorare, ex eo quod hominum cogitationes, græce *λογισμὸς*, id est *ratiocinationes*, discursus et consilia sunt timida, græce *δρακί*, id est *miseria, timida, debilia, ignava*, ut metuant de rei successu, ideoque tarde et segnitè eam agrediantur et prosequantur, imo non audeant audire tentare et moliri, præsertim quia nesciunt an Deus id velit et gratum habeat, ut conatus nostros secundet et prosperet.

ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ. — Putamus enim nostris rationibus et consiliis invenire media ad rem conficiendam apposita, et in executione invenimus ea debilia, infirma, defectuosa, fallacia, ac in infelicem exitum desinere: quare consulere debemus Dei providentiam, utpote securam et certam, ab eaque toti pendere. Græce *ἀσφαλιστός*; et *ἐπιβεβαιωμένος*, id est, *fallaces nostræ opinionæ, ut verus* Valabius, quia nil fere certo scimus,

sed tantum opinamur; alii, *periculosa adventiones nostræ*; alii, *instabiles conceptiones nostræ*; alii, *periculo subjacent excogitata a nobis consilia*: tum quia pendat a circumstantiis plurimis et sæpe ignotis; tum quia mille casibus et modis impediri evertique possunt; tum quia in discursu sæpe hallucinamur, et paralogizamus ex mentis debilitate et cæcitate. Hinc interpretæ S. Chrysostomi in *Psal.* CLXIII vertit, *rationes hominum timida, et labiles inventiones eorum.* Octava est hæc ratio, petita ab infirmitate, ignorantia et improvidentia hominis: hæc enim directio sapientiæ et providentiæ Dei indiget; unde prudenter Josaphat rex, II *Paral.* XX, 12: « Cum ignoremus, ait, quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros dirigamus ad te. »

15. CORPUS ENIM, QUOD CORRUMPITUR, AGGRAVAT ANIMAM, ET TERRENA INHABITATIO DEPIMIT SENSUM MULTA COGITANTEM. — Syrus, *corpus enim corruptio nis gravius est animæ, vel grave est adveniens animam; Arabicus, corpus corruptibile onerat animam; et terrenum habitaculum valde aggravat intellectum multiplicis sollicitudinis, vel anxietatis; græce, corpus enim corruptibile degravat animam (in corruptibilem), et terrenam habitaculum, sive tabernaculum, deprimit mentem* *ἀσφαλιστός*, id est, *multarum curarum, multa curante*, ut legit S. Augustinus, lib. II *Contra Julian. Pelag.*, et multis curis estuantem. Dat causam, cur cogitationes hominum sint timidæ, et incerte providentiæ, quæ scilicet corpus degravat mentem, ut non videat verum spirituale, sed tantum umbras corporeas, quæ sæpe fallaces sunt, oculumque intentum delunt et decipiunt. Audi S. Bernardum, *serm. De Septuaginta*: « Sane non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam, Sapient. IX, 15, ut immunes ab hoc gravamine primi parentis animam noveris extitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa et infima versans, et in illa excederet sine difficultate, et ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet; illa penetrans naturali vivacitate et puritate mentis, hæc auctoritate judicantis præsentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret eis; non ipse aliqua curiositate ductus est, ut videret ea. Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est: sic enim et ab infimis visco quodam captiva tenetur, et a summis indigna repellitur, ut nec ab his sine dolore possit avelli, nec ad illa sine magno gemitu, vel raro queat admitti. »

Pro *deprimit* græce est *βλάπτει* (quasi *βλάπτει*, a *βλάπτω*, id est *estabulo*), id est, *pre gravidine cibi vel potus, quasi dormitat corpus, et mentem pariter dormitare facit ut cæculet, et quasi somnians phantasmata confundat, ut unum pro alio, falsum pro vero, dubium pro certo, fucatum pro sincero imagineatur, eligat et amplectatur: sic enim prorsus experimur mentem, dum speculari vult*

verum, praesertim celeste et divinam, degravari gravitate et pondere corporis, ac velut in somno variis phantasias falsis et erroneis agitari, quibus offuscata dum credit et fidem adhibet, quasi nesciens et sopita decipitur, et in errorem inducitur, uti videmus fieri in phreneticis, et ebriis ac dormientibus; ni enim quod imaginantur et somniant, licet insulsum et stultum, verum tamen et prudens putant. Idem prorsus accidit homini vigilantem, praesertim curis et cupiditatibus aestivanti: cupiditates enim phantasiam ita afficiunt et imbuunt, ut quod illae cupiunt, hoc phantasiam pulchrum, verum et eligendum videatur: hinc saepe bonus dormitat Homerus, mens scilicet alicui sapiens obnubilatur, confunditur, hincubatur et errat: videt enim rem quasi per nebulam et fumum vaporum, qui e stomacho ascendunt ad cerebrum, illudque miris phantasmata imbuunt, quibus res prorsus alia videtur, quam in seipsa sit; nam pro vera rei specie phantasiam, indeque menti (quae tota pendet a phantasia) obtruditur fictum falsumque phantasma, pro vera ratione sophisma, pro vero syllogismo paralogismus, pro certa scientia opinio apparens, sed fallax; quo fit ut homines subinde, dum maxime sibi sapere videntur, tum maxime desipiant.

**TERRENA INHABITATIO** (græce γῆρας; αἴθερος, id est terrenum tabernaculum; ita vocat corpus, in eo enim, quasi in tabernaculo, modico tempore habitat anima, quia in eo peregrina est tenditur ad caelum, unde originem accepit; corpus vero, quia terrenum, et ex terra factum, animam celestem ad terram derivavit. — **Sensum**, id est mentem ἀποσπορεύειν, id est nullarum curarum vocat, multasque res meditantem, et multis curis agitatam, anxiam et sollicitam, qualis est regum et principum, quae proinde hinc curis pressa, inde corporis pondere degravata, ponderi et errori succumbat oportet, nisi sapientiae et gratiae divinae subsidio erigatur et folciatur; quam proinde assidue implorandam docet Salomon. Huc alludens S. Paulus, II Cor. v, 4: « Scimus, ait, quoniam si terrestris domus nostra huius habitatio dissolvatur, quod edificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis, nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de caelo est, superindui cupientes: » vide ibi dicta. Hinc et Plato in *Cratyllo* censet corpus dici σῶμα, quasi σῶμα, id est sepulorum, tanquam in eo anima, ejusque vis quasi in tumulo sepulchri iaceat; unde philosophus ille miseram animae suae sortem miserans: « Animula, inquit, sensitivum cadaver gestas. » Porro multiplex est analogia corporis et tabernaculi, nam instar tabernaculi corpus nostrum pelle tegitur, contra externas injurias caeli; nervis ceu funiculis distenditur; ossa velut malus aliae armenta sustentant illud; clavorum instar, quibus figatur firmeturque, videntur pedes; avellitur

morte hoc tabernaculum; corrugatur cutis, laxantur nervi, nutant pedes: ita Pineda in *Job* cap. xviii, 14.

Corpus ergo aggravat animam et mentem, quia primo, eam uni rei, puta veritati et Deo, intentam, deorsum abstrahit ad res corporeas et sensibiles, eamque distrahit per varias imaginationes et phantasmata, quibus phantasia instar equi vagi in campo pabulum carpentis assidue oberat, unde S. Augustinus, X *Confess.* cap. xi, ad unquam cum Deo mentem suspirans: « Neque in his omnibus, ait, quae pereuro, consulens te, invenio tutum locum animae meae, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intronitit me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem; quae si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed rectio in haec arumosis ponderibus, et resorbere solitis, et teneor, et multum floo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Illo esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo: miser utrobique. » Et Nazianzenus, in *Carm.* IX:

Nunc, ait, cum collecta est ratio, jampe ipse sensum  
Ad metam accessi, miser heu, velut ebrius erro,  
Ac scaeva obliquis pugna me deprimit angus,  
Et recte consulta rapit furtimque palanque;  
Interdum mea mens ad regem fertur Olympi;  
Interdum in mandum devexo corpore vergit,  
A quo animae graviter laesa est pars maxima nostra.

Vide Cassianum, *Collat.* XXIII, cap. vii. Secundo, quia corpus mentis aciem sua gravitate hebetat et obtundit, eamque sibi quasi similem, crassam, gravem et onerosam efficit, juxta illud Virgillii, VI *Aeneid.*:

Noris corpora tardant,  
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

**Tertio**, quia eam fatigat et delassat, ut diu non possit continuare speculationem, orationem, meditationem: sicut lorica et arma Saulis degravabant et lassabant Davidem, ut non posset progredi. **Quarto**, quia eam suis phantasmatis obnubilat, illudit et decipit, uti initio dixi: ad hoc corpus animae quasi vincula et compedes injicit, ne sursum volare possit. **Quinto**, quia cum mente appetitum et voluntatem ad bona spiritalia anhelantem, deprimit ad amanda sectandaque bona corporea, terrena et caduca; unde Apostolus gemitus suspirat, *Rom.* vii, 23: « Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? » Et sponsa, amore sponsi languens, ad eum suspirat, *Cant.* ii, 47: « Donec aspiret dies » beate aeternitatis, « et inclinentur umbrae » corporis et misere mortalitatis. Et Job, cap. vi, 20: « Factus sum, inquit, mihi metipso gravis: » vide S. Prosperum, epist. ad *Demetriad.*, non longe a fine, ubi docet

tentationes homini oboriri a corpore, ejusque concupiscentia degravante, sed eas vinci a charitate mentem ad Deum sublevantem. Hinc videmus longe majorem partem hominum, per omnem pene vitam occupari circa corpus, ut illi de victu, vestitu, caeterisque commodis et voluptatibus provideant, ita ut varum et raro de anima, ejusque aeterna salute cogitent.

Quocirca ex hac gnome S. Cyprianus *De Singulari Clerici* azobat cavenda esse feminarum consortia, ne us clericis cohabitent: « Tunc ergo, inquit, cavenda sunt feminae participia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia: quoniam inter curas suas caro semper inclinetur cupidinis provocat, et illie parit fomenta peccandi, ubi pertractans commoda sua, temporalis vite cogitationibus senserit paululum relaxari, sicut Salomon asserit dicens, *Sapient.* ix, 13: *Deprimunt terrena cogitatio sensum multa cogitantem*: » nam, ut solet advertit S. Bernardus, *serm.* 81 in *Cant.*, « peccato factum est, ut corpus quod corruptum aggravat animam; sed amore, non mole: nam quod surgere anima per se jam non potest, quae per se cadere potuit, voluntas in causa est, quae sordidum corporis vitio ac vilioso amore languescens et jacens, amorem pariter justitiae non admittit. » Deinde quomodo voluntas haec fiat necessitas, pulchre declarat: « Ita nescio quo pravo et miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit: ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cum sit illicita, excludere necessitatem: est enim necessitas hae quodammodo voluntaria: est favorabilis vis quaedam premeudo blandiens, ac blandiendo premens; unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis sub onere necessitatis huius, *Isai.* xxxviii, 14: *Domine, inquit, vim patior, responde pro me.* » Haec de causa apposite S. Gregorius Nazianzenus corpus vocat *echeuicidem*, sive *remoram*: sicut enim hic piscis exiguis affigens se navibus, earum cursum remoratur et sistit; ita et corpus animam: sic enim canit in *Præceptis ad Virgines*:

Nec vite ipsa tuae immittas echeuicida carnem,  
Quae velut invita properantem compepe puppim  
Retinet, sic tantum cogit subsistere molem.

Unde suadet arctandam esse mentem et amorem, sicut enim arctata aqua in exiguo canali sursum exilit, ita arctata mens exilit ad Christum:

Non sensus, inquit, ipse tantum qui sic arctatur, amorem  
Te jubet ad Christum sublato tollere fluctu.

Porro remora est piscis magnitudine cubiti, fusco colore, similis anguille, ait Oppianus, lib. I *De Piscibus*. Addit Plutarchus in *Sympos.* decad. 2, cap. vii, remora retardare navim, quia auget

ejus humiditatem, sic et corpus animam facit humidam, ideoque gravem et caecam: nam anima sicca est sapientissima; anima ergo in corpore velut in ergastulo inclusa tenetur, et membris ejus quasi compediibus praegravatur. Est anima corpus pro nebula, quae illam celestia clare videre non sinit; est ei pro illecebra, quae ad malum et vitium pertrahit; est ei pro catena, quae affectuum pennis vix ad sublimitate volare permittit unde suspirat Psaltes, *Psalm.* lvi, 7: « Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam? » Denique audi S. Bernardum, *serm.* 3 in *Ascens.*: « Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitia, sapientiae parum, quia corpus quod corruptum, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, *Sapient.* ix, 13. Per sensum hinc, ego arbitror intellectum designari, qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam et unicam meditationem, quae concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. Hujusmodi intellectum oportet deprimi, et distrahi per multa multis et multiplicitibus modis. *Animam* vero hic aestimo dici affectiones, quae corrupto corpore diversis passionibus afficiuntur, quae mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum querat, et tendat ad unum. Duo ergo sunt, qui in nobis purganda sunt, intellectus et affectus: intellectus, ut noverit; affectus, ut velit. » Subjicit deinde exemplum Elias et Henoch: « Felices et vere felices illi duo viri, Elias et Henoch, quibus omnes materiae et occasiones ablate sunt, quae eorum intellectum impediunt vel affectum, quia soli Deo viventes, nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique et de Henoch legitur, *Sapient.* iv, 11, quia *ruptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne factio deciperet animam ejus*. Intellectus noster turbatus erat, ne dicam caecatus, affectus inquinatus erat, et multum inquinatus; sed Christus intellectum illuminat, Spiritus Sanctus affectum purgat. »

**Quod corruptum.** — Dat causam, cur corpus aggravat animam, quia scilicet est corruptibile nam primo, quod est corruptibile, hoc est materiale et terrestre (res enim immateriales et caelestes sunt incorruptibiles) ideoque grave et ponderosum, sicut terra est gravis et ponderosa. Secundo, quia corpus corruptibile et terrestre in dies corrumpitur, et in terram, ex qua formatum est, devertit, et in eam ceu marem et originem suam redire gessit; unde secum animam deprimit, ut in terram devertat et propendat. Tertio, quia corpus corruptibile hominem occupat, ut corruptioni ejus continuo occurrat, itaque a caelestibus advocat corpus enim, dum famet, cogit hominem cibum sumere, ut fami succurrat; dum sitit, cogit hominem bibere; dum fatigatur, cogit hominem quiescere; dum friget, cogit calefacere; dum dormitat, cogit dormire, etc. Haec sunt ne

essitates corporis, quibus anima invita servare cogitur; unde pro his orandum cum Psalte, *Psalm. xxiv*, 17: « De necessitatibus meis eripe me. » Clarum hoc est in ægrotis, qui toti sunt in corpore curando, ejusque valetudine recuperanda, ut nec studere, nec meditari, nec laborare, nec quid aliud agere valeant: imo et in sanis, hi enim tertiam fore diæ vitæque partem, dormiendo transigunt; duas reliquas diæ partes sepe labori manuali, prandio, cœnæ, recreationi, confabulationi, etc., impendunt, ut vix dimidiam horam inveniant, quam dent orationi et Deo. Hinc origenis et pythagorici censuerunt animam a Deo creatam perfectam ante corpus, sed ob peccata a se admissa detrusam in corpus, quasi in carcerem, ut scelerum penas lueret; manichæi vero, inquit S. Augustinus, lib. *De Hæresibus*, in XLVI: « Etsi utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque deviant, ne divina substantia, que in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis ligetur in prole; » verum hæc sunt Manis mania et vesania.

16. ET DIFFICILE ASTIMAMUS (græce *διὰ τὴν*, id est *imaginamur*, conjectamus) QUE IN TERRA SUNT; ET QUE IN PROSPECTU (græce, *quæ in manibus*) SUNT, INVENIUNT CUM LABORE. QUE AUTEM IN COELIS SUNT, QUIS INVESTIGAVIT? — Græce, *ἔρευνᾶται*, id est *investigabit*, q. d. Nemo investigavit, nemo etiam investigabit per se, sine duce sapientia. Cantacuzenus per *ἐπιπέρας*, id est *imaginamur*, censet notari sensus, tum externos, tum internos, per quos e rebus sensibilibus hauriuntur imagines, id est species, quæ menti imprimuntur, ut res cognoscant, non ubi sunt in se suæque essentia, sed per species quasi per colores, quibus res vestiuntur, depinguntur et quasi colorantur: quare naturas et substantias rerum non cognoscimus, sed tantum externas earum formas et picturas. Omnia nec ostendunt, quomodo corpus degravet animam et mentem.

17. SENSUM AUTEM TUUM QUIS SCIET, NISI E DEBERIS SAPIENTIAM, ET MISERIS SPIRITUM SANCTUM TUUM DE ALTISSIMIS? — Pro *sciet*, græce est præteritum *scivit*; S. Cyprianus, *De Singular. Cleric.* legit, *scit*: per præteritum enim cætera tempora denotat, puta præsens et futurum. Hinc et S. Hieronymus in *Zachar.* cap. XII, pro *dedertis et miseris* legit, *dedisti et misisti*. Pro *sensum*, græce est *ἐπιπέρας*, id est *constitum*, mentem, voluntatem. Spiritus sanctus, tum creatus hic sumi potest, puta gratia et charitas; tum increatus, puta tertia persona S. Trinitatis: huic enim appropriatur illuminatio et sanctificatio; unde Ecclesia eum invocans ait:

Accende lumen sensibus,  
Infunde amorem cordibus,  
Infirma nostri corporis  
Virtute firmans perpelli.

18. ET SIC (male Lyranus et Dionysius legunt, *et*) CORRECTE SINT SEMITÆ EORUM QUI SUNT IN TERRIS, ET QUE TIBI PLACENT DIDICERUNT HOMINES? — Notat duplicem effectum sapientiæ et Spiritus Sancti: *primus* est, quod doceat ea, quæ sunt grata Deo; *secundus*, quod ad ea opere explendum, gratiam roburque suggerat, per quam mentes reformat, et mores corrigit. Pro *correcta*, S. Cyprianus *De Singular. Cleric.* legit, *directa*.

19. NAM PER SAPIENTIAM SANATI SUNT QUICUNQUE TIBI PLACERUNT A PRINCIPIO. — Hæc ultima verba desunt in Græco. Pro *sanati sunt*, græce est *ἰαμένοι*, id est *servati vel salvati sunt*, hoc est liberati sunt a periculis mortis, tum corporis, tum animæ; unde horum exempla deinceps recenset usque ad finem libri: quocirca ab hoc versu capit decimum inchoant nonnulli. Simili modo Sapientem imitatus S. Paulus, *Hebr. xi*, toto capite probat omnes, qui ab origine mundi salvati sunt, per fidem fuisse salvatos.

## TERTIA PARS LIBRI SAPIENTIÆ,

DE QUÀ SAPIENTIA, EJUSQUE FRUCTUUM ENEMPLA E PATRUM HISTORIA RECENSET, QUIBUS SAPIENTIA PRÆSTANTIAM AC DOTES HACTENUS RECENSITAS CONFIRMAT.

### CAPUT DECIMUM.

#### SYNOPSIS CAPITIS.

*Salomon, quædam per sapientiam adepti sunt Adam, Noe, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Moses, Hebræi transcentes mare Rubrum, meritis in eo Egyptiis, commemorat.*

1. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, 2. et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia. 3. Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperit. 4. Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans, 5. Hæc et in consensu nequitiae cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit. 6. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: 7. quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. 8. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent. 9. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus libera vit. 10. Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. 12. Custodivit illam ab inimiciis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. 13. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eam: descenditque cum illo in foveam, 14. et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. 15. Hæc populum justum, et semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. 16. Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. 17. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili: et fuit illis in velamento diæ, et in luce stellarum per noctem. 18. Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam. 19. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi interunt spolia impiorum. 20. Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter: 21. quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.

QUI PRIMUS FORMATUS EST A DEO HÆC, CUM SOLUS ESSET CREATUS, hic omnis est sermo; græce, hæc *protoplastum mundi patrem, solutunque creatum conservavit*, q. d. Hæc, scilicet sapientia, de qua Sapientia Adamum, qui primo solus a Deo fuit